

178.

D. D.
DISSERTATIO MEDICA
DE
LEDO PALUSTRI.

QVAM

Conf. Experient. Fac. Medicæ

In Reg. Acad. Upsaliensi.

PRÆSIDE

Viro Nobiliss. atque Generosissimo;

D: NO DOCT. CAROLO
à LINNÉ,

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUR. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN.
PROF. R. O. ACAD. PARIS. PETROPOL. IMPER. N. C. HOLM. UPS.
LOND. ANGL. FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINE. ROTER.
NIDROS. CELL. PHILADELPH. ZELAND. MEMBRO. ET EDINE. ASS.

Publicæ Bonorum Censuræ Submittit

AUCTOR ET RESPONDENS

Stipendiarius Regius,

JOHANNES PETR. WESTRING.

Lincopia - OstroGothus.

In Aud. Carol. Maj. d. XXV Octobr. MDCCLXXV.

Horis ante meridiem solitis.

UPSALIÆ,
Typis EDMANNIANIS.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAXIMÆ FIDEI VIRO,
REGII COLLEGII COMMERCIORUM
PRAESIDI,
ORDINIS REG. DE STELLA POLARI EQUITE
Ac COMMENDATORI,
ILLUSTRISSIMO atque GENEROSISSIMO
DOMINO,
D: NO GUSTAVO
CELSING,
MÆCENATI SUMMO ÆTERNUM
COLENDO,

SACRUM.



- - *Miramur Exotica, quum interdum domi habemus meliora.*

ERASM.

PROOEMIUM.

Patulos *Floræ* campos, lætissima illa florum luce superbientes, quæ non oculos tantum suavitate sua demulcet, verum etiam animum, nescio quo voluptatis sensu, mirifice implet, sagaciori oculo perlustranti, loca, tantum non singula, suas commonstrant plantas, [quæ aliarum haud referentes virtutem, suo quasi & proprio, in quo læto regerminant vigore, Solo a Natura dicatæ esse videntur. Verum enim vero maxima specierum vegetabilium copia sese jactare videntur regiones calidiores, ubi frigus illis injurias inferre nequit: at ubi terra frigore obriget, e sinu tamen educit illas plantas, quibus aut Temperatis aut Calidioribus gloriari vix ac ne vix quidem contigit Zonis.

Neque dura omnino in Hyperboreos noverca, vegetabilia *Patriæ* nostræ denegasse videtur Natura, quæ soli ac cœli amore adeo tenentur, ut limites suos ægre transgrediantur, & raro in aliis locis, exceptis *Alpinis*, quæ eodem illo frigoris gradu, quo plagæ premuntur septentrionales, semet induere haud pertimescunt, obvia sese dent; inter quæ numerantur: *Rubus* arcticus, *Rubus* Chamæmorus, *Cornus* herbacea, *Lobelia* Dortmanna, *Pedicularis* sceptrum, *Trientalis* europæa, *Betula* nana, *Cratægus* Aria, *Andromedæ*, *Scheuchzeria* palustris: quæ plantæ, cum pluribus aliis. a TOURNEFORTIO, qui ta-

A men

men merito Princeps seculi sui Botanicus salutatur, omissa fuere in ejus systemate, cum earum cognitionem exactam sibi comparare non concessit natale Solum.

Vegetabilia igitur illa, quorum miram alii conquerruntur paucitatem, eo potiori jure, quæ intus & in cute, quod ajunt, noscamus, digna censentur, quum non dicam nostro ævo, nova ex illis confecerint *Exteri* Genera, quæ præstantiæ nota decorarunt, sed etiam in illis quidquam commodi præ ceteris, quæ magis communia sunt, capi posse videatur.

Quorum albo adscribenda est illa planta, cui nomen est LEDUM, nobis æque vulgaris, ac australibus rara regionibus. Illam qualitercunque adumbratam tuæ consuræ, B. L. modeste subjicio, & quæ de illa recentior nostra detexit ætas, veritati congrua, a me in unum collecta tecum communicare, ut potui, volui.

§. I. HISTORIA.

Amara, ad cerevisiam ab acescentia conservandam, nobis omni ævo fuere necessaria. *Humulus* vero fini huic optime interserviens, ante aurea GUSTAVI I. gloriosissimæ memoriæ tempora, qui hanc plantam in Sveciam inter primos introduci curavit, Svecis vix innotuit. *Myrica Gale* vero, nomine vernaculo *Pors*, vulgo utebantur, quam paterna fundebant rura, & quæ singulari suo odore vim cerevisiæ inebriandi mirum quantum acuit.

Ea vero tempestate, qua *Myrica* usu valuit, ipsi succedaneum pauperes elegerunt LEDUM, quorum agelli aut insufficientem, aut nullam, quum nec eorum ferret conditio illam emere, nec loca, quæ illam alerent upote lege munita a), accedere fas esset. Sed quam ineptum esset LEDUM usui ab illis
inten-

a) Carl IX *Landslag med Arahamslons anmärkningar*, ByguingsB. 49 Cap. p. 527.



intento, ex suis incommodis, præsertim horrendo capitis dolore, omnium Hilariorum tunc temporis comite sat tristi, cito nimis didicerunt. Nam in tantum *Myrica* superat LEDVM, in quantum *Humulus* hoc cerevisiæ usu præstat *Myricæ*.

Unde LEDVM suum sortitum sit nomen, ad liquidum exploratum non contendo. Apud antiquos *Naturalis Historiæ* scriptores mentionem herbæ quidem factam observo nomine *Cistus ledon*, sed a LEDO diversæ, quod a RAJO deinde huic plantæ impositum ejus successores retinere, usque dum RUPPIUS *b)* novum ex hac constituit genus, quod primus vocavit LEDVM; & utrum rationem denominationis a *Lædendo odore c)*, ana veteri vocabulo *ledon*, *d)* sulceperit, nobis omnino pèrinde esse videtur.

§. II. ORDO.

Inter BICORNES *Ordinum Naturalium* locum obtinet LEDUM, quod sit frutescens, sempervirens, sterili gaudens loco natali, inerme, foliis simplicibus, multisque instructa seminibus; a quibus tamen qualitate sua sapida & odora, quæ in reliquis fere est nulla, discedit: cui addendum duco, quod fructus ejus non ab apice in 5 valvulas, sed a basi, dehiscat.

§. III. CLASSES,

Quibus apud auctores inseritur:

D. PRÆSES Classi *Decandriæ monogyniæ* LEDVM adnumerat.

A 2

RA-

b) *Flora Jenens.* ed. 1718.

c) *Philos. Bot.* p. 167.

d) A gr. *Λῆδος*, quæ plantam *Cisti* Speciei denotat, ita appellata quod ejus folia scabra et pannosa sunt. *Λῆδος* enim vestis ex panno raro ac detricto est. Quum vero LEDI folia supra sunt scabra subtus quoque Pannosa, ideo huic vocabulo non immerito suum debet nomen.



RAJUS, inter Plantas *pentapetalas vasculiferas* illud collocat.
BOERHAVIUS, Plantis *polyangiis polyspermis* illud adscribit.
TOURNEFORTIUS inter Herbas *flore rosaceo* illi locum
uindicavit.

§. IV. GENUS.

Characterem LEDI genericum ita adornavit D. PRÆSES, in Gen. pl. 6. 546.

LEDVM,

CAL. *Perianthium* monophyllum, minimum, quinque-
dentatum.

COR. *Petala* quinque, ovata, concava, patentia.

STAM. *Filamenta* decem, filiformia, patentia, longitu-
dine corollæ. *Anthere* oblongæ.

PIST. *Germen* subrotundum. *Stylus* filiformis, longitu-
dine staminum. *Stigma* obtusum.

PERIC. *Capsula* subrotunda, quinquelocularis, quinque
fariam basi dehiscens.

SEM. numerosa, oblonga, angusta, utrinque acuta,
tenuissima.

§. V. SPECIES.

Unica LEDI species, quantum adhuc constat, inno-
tuit, quæ facie & natura proxime accedit illis *Rhododen-
dri* speciebus, quæ planam gerunt corollam. *Varietatem*
hujus nuper habuimus ab America, quæ foliis est mul-
to latioribus nostratis; in ceteris vero nihil omnino
differt.

Pulcritudo, qua floribus ornata, conspicuam se red-
dit, mirum quantum oculos movet & delectat; adeo ut,
si odore suo graveolente nimis, olfactum non feriret, in
primis fere haberetur deliciis. Niveis enim pulcerrimis-
que suis *Corymbis* formosa, cum ipsis *Spiræis* umbella-
tis seu *Corymbosis* de formæ principatu contendit. A-
deo

deoque hortis, si LEDO culturam præbere posset, decus conciliaret svavissimum.

LEDVM (palustre) *Fl. lapp. 341. sp. pl. 561. Fl. Sv. II. 352.*

Ledum foliis linearibus subtus hirsutis, floribus corymbosis. *Fl. Sv. I. n. 341. Mat. med. 210.*

§. VI. SYNONYMA.

CISTUS ledon, foliis rosmarini ferrugineis. *Baub pin. 467.*

LEDUM silesiacum. *Clusii pan. 69. hist. 83.*

LEDUM rosmarini foliis. *Tabernem. hist. II. 1479.*

LEDUM foliis rosmarini alterum. *Lobel. ic. II. 124. fig. mal.*

ROSMARINUM sylvestre. *Matthiol. in Diosc. 146. fig. pessim. Dalechamp. hist. 967 fig. mal.*

ROSMARINUS sylvestris. *Dod. pempt. 273. Pharmac. Svec.*

ROSMARINUS sylvestris minor. *CAMER epit. 546, 547. fig. mal. hist. pl. II. 24 & tab. 25 eadem.*

GERMANIS *Mottenkraut, Wanzenkraut, Bienenbeide.* SVECIS *Jquattram,* O-GOTHIS *Jqvackra.* SUDERMANNIS *Squater.* SMOLANDIS *Jqvackra,* W-GOTHIS *Lumer.* UPLANDIS *Getepors,* HELSINGIS *Pors,* VESTMANNIS *svinpors.*

§. VII. DESCRIPTIO.

RADIX fibrosa.

CAULES plures, frutescentes, pedales sive bipedales, fusci, compositi, nudi, erectiusculi, aphylli. *Ramuli* terminales, proliferi exapice caulis, pubescentes, simplices, teretes, foliosi, tenacès, sæpe tres s. quatuor.

FOLIA integerrima, alterna, sparsa, brevissime petiolata, linearia, basi cordata, biennia, *supra* linea longitudinali excavata, subrugosa, *subtus* revoluta, costa longitudinali tomentosa, ferruginea. *Petiole* brevissimi, ferrugine tomentosi.

GEMMÆ terminales, solitariae, corymbiferae, maximæ,

mæ, imbricatæ *squamis* ovatis, concavis, membranaceis, deciduis, ferrugineis.

CORYMBUS semiglobosus: *Pedunculis* solitariis inter *squamas* gemmæ, flore longioribus, unifloris.

CALYX minutissimus, quinqueidentatus.

COROLLA pentapetala, plana, alba: *Petalis* oblongis, rotundatis, concavis.

STAMINA. *Filamenta* decem, setacea, alba, æqualia, erecta, corolla paulo longiora. *Antheræ* oblongæ, erectæ, ferrugineæ. PISTILLUM. *Germen* superum, globosum. *Stylus* filiformis, erectus, staminibus paulo brevior, persistens. *Stigma* capite obtuso.

CAPSULA ovalis, quinquevalvis basi dehiscens
SEMINA numerosa, paleacea.

§. VIII. LOCUS.

Pleraque *Iveciæ* loca *Sylvatica*, quæ *paludosa* & *cæspitosa* sunt, quum *glaciem* diutius retineant *subterrestrem*, LEDVM alunt, excepta *Sania Australi*. In *pratibus* nunquam occurrit *patentibus*. *Uliginosa*, *umbrosa*, nec non *cæspitosa* ea loca sint, necesse est, in quibus *luxuriare* LEDO placebit. Unde *difficilis* ejus *cultura* in *hortis* existit, & fere *impossibilis*, nisi in *locis* *umbrosis*, ubi tamen raro fert *flores*, quos si forte *profferet*, nec tot *forent*, quot in solo *natali* *squalido* *producit*. Ad *montium* & *rupium* *latera* *passim* *crescit*, ubi *aqua* *adest*, quæ *radicem* *irriget* *siccitati* *inimicam*, cum *musci* & *radices* *minores* *contortæ* *radicem* LEDI *exigua* *sparsam* *terra* *tegentes*, *stoream* *conficiunt* *densam*, quæ *semper* *madida* & *passim* *subtus* *situ* *maculata*, *odorem* *adflat* *mephiticum* (*unken*). Nec, cum in *locis* *cæspitosis* *floret*, *radix* *ejus* *sola* *terra* *tantum* *operta* *est*: *plerumque* *Sphagno* *nec* *non* *aliis* *muscis* & *radiculis* *tota* *circumcingitur*.

Illorum *consortium* LEDVM non tolerat, nec in
uno

uno loco cum illis commoratur, quæ illud aut altitudine æquant, aut lætiori crescunt vigore. At *Sphagnum* LEDO videtur amicissimum; ut sele amplectentia una frui videantur nutrice. LEDO confinia sunt: *Empetrum nigrum*, *Eriophorum*, *Arbutus uva ursi*, *Pyrolæ* &c.

Extra Fines sveciæ sylvaticas hæc planta in regionibus exoticis imprimis borealibus paucis obvia est. In *Sibiria* ubique nascitur, usque ad *Kamtschatkam*. a) Multis in *Germaniæ* regionibus occurrit, ut in *Saxonia* b), *Lusatia* c), *Thuringia* d), *Bohemia* e) & *Silesia*: nec *Danis* invisa f) & *Norvegiæ* loca uliginosa ornare quoque non recusat.

§. IX. GEMMATIO.

Nullas LEDVM profert gemmas, quam quæ ejus *Florescentiæ* sunt dicatæ. *Rami* præcedentis & præsentis anni sunt tomentosi: tomento autem se exuunt duos vel tres annos nati, & nudi evadunt, tantum paulo exasperati a cicatricibus casu foliorum impressis.

Florescentia suam occupat sedem in ramorum divaricationibus & valde regularis oritur *Corymbus*, ut *Tirones*, qui *Corymbum* desiderant regularem, in LEDO votis suis satis facere possint.

Bractææ, quæ squamæ ipsius *Gemmæ* sunt sub pedunculis partialibus sitæ, sed sub ipsa *florescentia* decidunt. Instanti vero tempore, quo fructus perficitur, reflecti deorsum incipiunt, unde fructus cernuus evadit. Hinc provida rerum natura ita instituit, ut fructus basi
dehi-

-
- a) Gmel flor. sibir.
 - b) Teste Ruppio.
 - c) Auctore Clusio.
 - d) Ref. Matthiolo.
 - e) Cfr. Clusium.
 - f) vid. A. Dan.

dehiscat, ne prius semina cadant, quam vehementioribus ventis autumnalibus ita conquatiantur capsulæ, ut semina delabi cogantur.

Fine Mensis Maji vel circa initium Junii floret, mense *florescentiæ* (Calendarii Floræ) ubi ordinem fere servat inter *Trientalem* europæam & *Geranium* sylvaticum, versus vero Finem Mensis Augusti semina maturescunt.

§. X. PRÆPARATA.

Herba tantum cum toto, quod ajunt, in officinis Pharmaceuticis servatur, nec ulla ejus præparata ibidem prostant. Ut igitur quid in LEDO lateat, in lucem prodeat, pauca, quæ Ejus cognitionem pharmaceuticam spectant, experimenta institui, & quæ inde resultarunt, adferre juvabit.

I. *Aqua LEDI destillata*, odorem præbet gratum, illo, qui herbæ tempore vernali inest, longe mitiorem; nec ab illo, quo perfusa est *aqua rosarum* multum discedentem: Unde & illi, quibus odorem naribus adtrahere contigit, illam pro Aqua rosarum habent.

II. *Extractum aquosum* saporem producit primum dulcem, mox amarum, denique stipticum; quæ omnes diversi saporis species se tam cito excipiunt, ut vix discerni queant.

III. *Essentia LEDI* sapore prædita est acri, summe amaro & majori stiptico, quam quod Extracto aquoso inhæret.

IV. *Extractum resinofum* summam sapit amaritiam, valde adstringentem & cum Extr. Cort. Peruv. res. convenientem.

V. *Oleum empyreumaticum* odore est teterrimo & consistencia, picis instar, crassa.

VI. *Spiritus per descensum* quoad saporem cum sp. Tartari convenit, odorem ol. empyr. præ se ferens ab acido acutum.

Oleum LEDI Essentiale, licet ter repetita fuerit operatio, non adeptus sum. Nec illud, nisi ficcum, uti illud a *Rosis*, nacturum quemquam opinor.

Pauca hæcce præparata, si faventior ampliora instituenti occasio mihi adfuisset, majores, quibus LEDVM pollet, vires, nullus dubito, in apricum posuisse. Atamen quæ insint, ex illis conijcere haud ineptum duco; & cui idonea suppeditat eadem repetendi occasio, non sine optato eventu vires LEDI eruturum ex illis, quæ expertus fui, certissimus auguror.

§. XI. QUALITATES.

SAPOR amarus, sed leviori gradu, subadstringens.

ODOR graveolens, subaromaticus & proprie nidorosis, præsertim tempore florescentiæ, *Myricæ* proximus.

Tempore vernali paulo mitior ejus est odor, aroma quòdpiam spirans, quod a svavitate non longe est remotum.

Observari quoque meretur, odorem valde esse in hærentem, quo nulla temporis diuturnitas herbam privare posse videtur. Vidi enim in *Bibliotheca Upsal.* Herbarium BURSERI vivum, anno 1620 collectum, in quo LEDVM suum etiamnum conservavit odorem fere æque fortem per annos 150 & quod excurrit.

§. XII. VIRES.

Efficaces LEDO inesse vires, næ is in dubium vocabit, cui semel contigit odorem, quem spargit, inprimis sponsalia peragens, naribus haurire. Procul enim ab illo remoti, illud in vicinia esse, certi divinare possumus. Fortem vero, odori respondentem virtutem, illi a Creatore inditam esse, inficias iturum arbitror neminem. Medici igitur est, quum hæc planta nobis eximia polliceri videtur remedia, experimenta rite instituere, nec illum spe sua concidere opinor.



Utpote tota hæc planta est graveolens, donec floreat, & quidem ob odorem, quem dispargit, fortem, cephalalgiam, cuicumque volupe fuerit, floribus onusta, inducere potest.

Uti pleræque nidorosa oculis sunt nocua, nec LEDVM hujus culpæ immune merito existimatur.

Vim inebriandi herbæ inesse si liquidis fermentatis immisceatur, diu cognitum fuit, quam inprimis illi cerevisiæ coctores, qui scelerato ducuntur quæstu, lucro adponere non negligunt. Qui mos perversus etiam in *Germania*, præcipue circa *Schmidebergam* & *Wittebergam*, ut RUPPIUS & alii referunt, receptus est.

Rusticis, quorum convivia nisi rauco ebriorum clamore susurrent & fessis uacillante pede saltantium perfonent vocibus, in laude non ducuntur, hæc LEDI uis passim inservire solet.

Infusum vero ejus majori dosi sumtum, ultra urc. I. vel II. cephalalgiam, deliquium, vomitum & sudorem excitare potest, quod observavit D. Asesor. ODEHLIUS.

Secundum lapidam qualitatem LEDVM præstans esse corroborans, neminem arbitrò negaturum. Insectis minimis, quin immo aliis, pro amaritie sua cum alio principio, quod continet, mixta, lethiferum est; & annon *antbelminticum* foret pereximium, experiendum relinquimus.

Quid autem in morbis *exanthematicis* valere videatur, præmissis præmittendis, infra disquirere juuat.

§. XIII. USUS.

Omnia animantia bruta, si capram exceperis, herbam abhorrent a).

Unico autem insecto, *Phalænam* tortricem *ledianam* b) puta

b) Vid. Pan. svcc. p. 22.

a) Cfr. Syst. Nat. Tom. I. p. III, p. 879.

puta, quantum adhuc constat, hospitium præbet. Unde ut insectis & pecoribus inserviret alimento, a natura non videtur destinata. Quid ideo æquius, quid convenientius, quid denique probabilius, quam exinde concludere illam esse creatam, quæ usui inserviret forsitan longe potiori?

Nonnullæ jamdudum ejus virtutes a multis sunt laudatæ, & majores quin in scenam producet, non est quod dubitemus, cui operam in illis eruendis collocare volupe fuerit.

LEDI autem ignorantia fere omnes Medicinæ antiquæ Scriptores cepit, & quæ de illo certi novimus, unice recentiori debemus ætati; & sunt sequentia.

USUS OECONOMICI.

I. *Tineas* & *Blattas* pellit, teste *Matthiolo*: ob quam virtutem, ab illis, qui de LEDO quid docuere, in laude habetur multa. Et D. J. GLEDITSCH. Celeberr. Prof. Berol. herbam in quibusdam Germaniæ officinis, ad tineas abigendas, collocari refert a).

II. *Cimicibus* odiosa est herba Multis in Sveciæ Provinciis, ubi foetidi cimices cubilia & parietes occuparunt ad noxam inhabitantium, quorum interdum, *Nec toga, nec focus est, nec tutus cimice lectus*, b) herbam ad hos hospites abominandos, quorum vicinio nihil detestabilius, abigendos, nec sine effectu adhibent. Quidam herbam ipsam dum floret in lectis inter lintea & culcitræ ponunt. Quidam & quidem meliori successu *Infuso* utuntur fortiori, quo lectos lavant. *Spiritum* vero LEDI per descensum hunc præstare posse effectum, nec sine jure existimo, optimum. Nam experientia hoc meum augurium comprobante, non possum non, quin hujus

B 2

vir-

a) *Verzeichniß der gewöhnlichsten Arzneijgewächse*. p. 81.

b) *Martialis* I. 2.



virtutis laude LEDVM ornem. Quod si enim gutta tantum hujus *spiritus* vel potius *Phlegmatis* illis superfundatur, statim omni velocitate currendi priuati, intra minutum horæ mortui procumbunt. Et mirari profecto conuenit, hunc liquorem illis adeo esse lethiferum, ut e loco, quo illis injicitur, se movere vix queant, sed, quasi spe vitæ destituti, magis huic aquæ se involutant, ut mortem, sibi ineuitabilem, accelerent. Adeoque si in loca & rimas parietum lectorumque, ubi commorantur & ova deposuerunt, siphone vel adspergillo hoc phlegma inspergeretur, optima foret ratio hos hospites foedissimos propullandi, quin immo longe tutissima. Nec in hac quoque re nobis refragatur experientia.

III. *Pediculis animantium brutorum* lethiferam esse herbam diu omnibus fere innotuit. Ideo aut *decocto* lauantur animalia, aut *herbam* in porcilia seu haras congerunt recentem, & quidem aibus domesticis phtiriasi, infestatis.

IV. *Apibus amicam* & in deliciis esse neminem facile crediturum puto, nisi quem illud edocuit obseruatio. Unde nec immerito Germani suo idiomate LEDVM vocant *Bienenbeide*.

Solers ille Naturæ scrutator acutissimus, D. HAGSTRÖM M. D. Clarissimum loquor, sua in hunc finem obseruata mecum communicare non dedignatus est. Quotannis *aluearia* herba LEDI inuncta, apes auide intrare obseruauit. Tempore vero vernali cum apes parce fumo LEDI sparsit, quasi denuo reuiuiscunt & hilari ad campos *Floræ* uisitandos examine evolant.

Mirum quoque est, *apes* dulce suum ex mel hujus flore abunde colligere. A *polline* vero florum *globulos* deportant *albescentes*, quos in ceram illos convertere eo facilius est divinatu, quo certiores scimus *Americanos* a baccis *Myrica* ceriferæ, LEDO cognatione annexæ, ceram decoque-



quera. Quod ideo illorum, quibus apum cultura videtur jucunda, quam non possunt non in lucro ponere, attentionem meretur.

Notari quoque dignum arbitror, flores in ambitu *corymbi* prius se explicare, quam qui medium *corymbi* constituunt. Nonne in apum gratiam? En sapientiam diuinam, etiam in minimis admirandam, nostris eloquiis ad suum laudis culmen nunquam sat extollendam!

V. *Mucos septicos*, ne pavimenta destruant, impedit. Nam cum herbam sub pavimenti collocant Oeconomi, putredinem illis accelerare nequeunt mucos, quorum incrementum tollit: qui, cum ædificia in locis uliginosis sunt structa, parietibus simul & pavimenti subtus adnati, putredinem contrahunt. Votis igitur illorum, qui hoc incommodum conqueruntur facturum esse satis LEDVM, *experientia*, licet unica, quantum constat, sat dilucide demonstravit, illa videlicet, quæ felici successu in Prædio *Uthuna* instituta fuit. Quæ ideo LEDI virtus probabilitate nos non fallere videtur.

VI. *Coria Russica* odore imbuens. Svecis & quidem aliis gentibus, quomodo inprimis *Russi Coria*, (*Fucht* vulgo appellata,) odore illo singulari inficerent, ignotum eo usque fuit, donec illi, quos anceps Rustorum Mars tempore CAROLI XII:mi captivos detenuerat, vinculis soluti, patrios redirent lares. Attamen ex asse non respondit ars illa, quam ibi adquisiverunt, fini intento, usque dum 1739 quidam accederent, quibus perspectum erat LEDVM cortice *Betulae* albæ esse miscendum, cujus mixturæ oleum eundem coriis conciliauit odorem, quo gaudent russica.

USUS MEDICI.

I. *Scabiem* acaris suam debere originem adeo dilucide demonstrant medici, ut, qui illud in dubium vocet, utroque oculo dormire censeatur. His autem depel-



lendis & enecandis LEDI *Infusum* inservire potest, & tantum abest, ut solam probabilitatis speciem præ se unice ferat, ut potius a multis sit probatum, quin immo laudatum; unde etiam *balnea* a LEDO confecta primaria esse ad scabiem tollendam, testatur *Simon Pauli*.

II. *Tinea* medetur. Puerum gravi tinea afflictum, ope Decoct. Lediquo caput repetitis vicibus lauabatur, saluum reddidit D. D. Wahlbom.

III. *Tussi ferinae inimica*. Veritati convenienter multi quidem Medici contendunt, omnes morbos, qui contagiosi sunt, contagium suum debere *animalculis vivis*. Quam hypothese quasi ex tripode dictam alii avide arripuerunt, verum alii ut inscitiae inuolucrum, repudiarunt. Saltem in plurimis *exanthematicis* morbis illam valere, valde videtur probabile, et quidem in *tussi ferina*, quæ malum est *epidemicum*, quod pauci evitare possunt, contagium suum, quasi ipsa pestis dispargens, & quem semel occupavit, multis diu crucians modis. Infantibus & quidem illis, qui proVectiori sunt ætate, nihil hoc fere morbo intolerabilius. Horrendum est visu, quam misere eorum membra conquassentur screatu, qui etiam interdum intercluso spiritu suffocati, sine vitæ jactura hoc malo se liberare nequeunt. Multi igitur Medici, quum *Emetica*, *Moschum*, immo *Mercurialia* adhibuere, frustra effectum expectarunt. Omnibus autem remediis, quibus huic morbo adferre solent Medici medelam, *Infusum* LEDI saturatius, aut ejusdem *decoctum* palmam præripuisse sæpius est observatum. Observavit quoque D. PRÆSES in itinere suo V. Gothico, a multis hoc remedium adhiberi, ut falli nescium. Quæ itaque tussis ferinæ medendæ ratio jam per totam fere Sueciam invaluit, & annon Pillul. extr. aqu. vel res. simul cum Infuso, curam peragerent citiorem, experientiæ committimus.

IV. *Angina Strangulatoria*. Præteritis annis grassatus fuit



fuit morbus epidemicus, qui juniores præsertim aggrediebatur, speciem *Anginæ* præse ferens, suo contagio multis inevitabilis. Illorum qui hoc morbo laborabant, glandulæ jugulares repente intumuerunt. Quibus intumefactis accessit febris lenta, vix sensibilis, dolore colli intenso & rauco comitata screatu. Intra spatium 8 vel 14 dierum morbus plerumque terminabatur, quem tamen quidam non nisi morte evitare potuerunt. Qui vero gargarismata & cataplasmata a LEDI infuso adhibere, ad sanum cito redibant statum. Quam anginæ mendæ methodum observavimus D. D. *scopuli Medic. Hung.* meliori de nota commendasse. Et in *Angina Inflammatoria* infusum Plantæ euporiston esse apud incolas montium Carpathicorum dudum docuit acutissimus Botanicus *Nic. Faquinus*.

V. In *Cephalalgia* ejus aqua destillata externe adhibita, a nonnullis laudatur; quod puto non injustum est, quum id quoque usu proprio compertum habeo.

VI. *Lepra* morbus est duratione tædiosissima cum exanthematibus conjunctus, quo cutis in squammulas, piscium instar, mutatur, ut æger omnem humanam quasi deposuisse videatur speciem, et qui illum intueretur, in nova mutatas se cernere corpora formas lubens fateretur. Lepram vero ab animalculis vivis esse deducendam alienum non videtur.

Qui terram borealem incolunt Medici, ubi hic morbus frequens est, præsertim locis maritimis, & qui quid ultra communia Medicorum dogmata sapiunt, existimant *Gordios*, quos vocant *spirales*, causam sistere hujus morbi. Illam igitur sententiam nuper in aprico positam, ut veram amplectimur, quæ vermes statuit, quum hæc animalcula adeo tenaci continentur vitæ filo, ut omnem Medicorum operam in illo destruendo deludant.

In hoc igitur nodo explicando multi *Machaoniae* artis *Principes* operam perdidierunt, & omnes ingenii nervos in excoGITando remedio, curam hujus morbi omnibus numeris absolutam praestituro, frustra contenderunt. Ubi vero ad barbaras itur gentes, quas casus, necessitas & tempus optima saepe edocent, quibus etiam praestantissima fere medicamina in acceptis ferimus, rem acutam fuisse, observarunt illi diligentes naturae Scrutatores, qui, jussu Imperatricis Russ. *Catharinae Alexievnae*, iter in remotissimas ejus regiones usque ad *Kamschatkam* instituerunt. Ibi enim incolae, densis inscitiae tenebris licet immerse, se tamen felici successu a *Lepra*, quae tyrannidem in illas exercuerat crudelem, ope Infusi a LEDO liberaverunt.

Quum igitur eadem est planta, quae eidem inferuiat morbo, quid officit? Cui robur conciliat quod D. D. ODEHLIUS Reg. Coll. Med. Asses. expertus est & in *Actis Acad. Scient. Holm. ultim. sem. pro anno 1774* descripsit. Talem enim in hoc morbo refrenando effectum praestitit LEDVM, qualem nullum ante ab Illo adhibitum medicamen, *Leprae* inimicum, conciliavit. Ut ideo iusta LEDVM maneat hujus uirtutis laus, ex qua incitentur Medici experiri quid valeant humeri in detegenda methodo, qua optime in hunc finem adhibeatur, adferre iuvat verba, quibus usum LEDI in *Lepra* commendat, D. *Asjesfor Odeblius* in actis citatis, quae totidem ita exstant: *Detta är sanfärdiga förloppet af en båndelse, (Ledi skyndsamma cur,) som jag af den orsaken tror mig böra berätta Kongl. Akademien at han är den enda, som i denna svåra sjukdom visat hopp til bot och förbättring, på det andre derigenom måtte få anledning at försöka denna ört, (LEDUM) som växer så allmänt, i hela riket medan lifskrafterna äro beållne.* Quod hujus herbae encomium, praesertim quum ab illo

fit datum, quem summa artis salutaris scientia per totam Sveciam Illustrem reddidit, unumquemque ad ejus usum in lepra excitare debet. Methodus herbam præscribendi hæc fuit:

R. LEDI unc. IV.

Infund. in aqu. calid. libr. II.

Dosis quot. a dimid. libr. ad libr. II.

Quo infuso exanthemata quoque fuere lavata. Sed cum nimis diu hoc morbo conflictata fuit femina lepra laborans, & morem cum non gessit ordinationi præscriptæ, morti succubuit, quum spes tamen, illam a lepra immurem reddendam, ope hujus infusi, summa esset.

§. XIV. CLAUSULA.

Hæc omnia, diligentem medicum, qui ab uno eorum, qui nexu aliquo inter se continentur ad alteram concludere non susque deque habet, in eam opinionem inducere possunt, an LEDVM in reliquis morbis contagiosis, Epidemicis, Exanthematicis, ut *Morbillis, Variolis, & Dysenteria* &c. nullum præstet effectum. In *Dysenteria* enim epidemica scabiem intestinorum internam esse, dissectiones cadauerum, hoc morbo defunctorum, satis superque monstrarunt. Scabiem vero istam animalculis deberi vivis haud insulse multi interpretantur, præsertim cum ista animalcula oculis examinaverunt armatis. Quorum existentiam evidenter quoque innuere videntur medicamina, illis mortifera. e. g. *Rhabarbarum, Nux vomica, Radix Ipecacuanbæ*, (quam ut specificum ac ferme infallibile remedium commendat D. G. *Baglivus*, a) quibus morbo huic haud raro mederi amant Medici. Quorum medicaminum loco, LEDVM substitui posse, a priori videtur probabile, & eatenus ceteris anteferendum, quate-

C nus

a) Vid. G. *Baglivi Prax. med. p. 109.*



ntis non solum mitius est ceteris, quæ nimis caute semper ordinari vix possunt, verum etiam amaritie suabilem corrigere acriorem & succum pancreaticum mitigare videtur acidiorum, quibus causam morbi, saltem fluxum alvi, *Riverius b)* & *Alii c)* adnumerare sunt adgressi. Plura de LEDI effectu in morbis exanthematicis, ubi animalcula detegerunt Medici viva, persequi, imperata non patitur brevitatis; attamen omni probabilitatis specie non destituitur opinio, unde prius eam non rejiciamus oportet, quam falsitatis hypothesin arguerit experientia.

*Vilia sunt nobis quaecunque prioribus annis
Vidimus, & sordet quidquid spectavimus ante.*

TIT. CALPH.

b) L. Riverii Prax. Med. p. 360.

c) F. D. Sylvii Prax. med. append. p. 833.

